



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

Titulus II. Lacrymæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79340](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79340)

eam noctis venit ad eos. Et Luc. 5. 5. per totam noctem laborantes nihil cepimus.

Miscellanea.

Frustrâ feretis sementem, quæ ab hostibus devorabitur. Levit. 26. 16. Non dixit Dominus, non feretis; sed feretis, & frustrâ feretis: ut gravior esset supplicium, & poena acerbius. Tristis res frustraneus labor. Didacus Niss. D. 4. Pasch. §. 5.

Non in ejus (Dei) vacatione cogitetur ignavia, desidia, inertia; sicut nec in ejus opere labor, conatus, industria. Novit quiescens agere, & agens quiescere. Sanct. August. de Civit. l. 12. c. 17.

Deo dante nihil potest livor: eodem abnuente nihil potest labor. S. Greg. Naz. Adv. mulieres ambitiosè se ornantes.

TITULUS II. LACRYMÆ.

§. I.

Symbola, & Similitudines.

Ex Veteri, & Novo.

HOc est mare rubrum, in quo Ægyptij, id est, crimina; & Pharaon, id est, diabolus, cum toto suo exercitu submerguntur. Ex. 15. 1. Luctus est cisterna Bethlehem, cujus aquas desiderabat David 2. Reg. 23. 15. Hic est fluvijs Jordanis, in quo leprosus Naaman mundatur. 4. Reg. 5. 10. Hæ lacrymæ sunt aqua, in quibus capita dragonis contribulantur Pl. 73. 13. Hæc est cella vinaria sponsæ, de qua compunctionis, & devotionis, vinum optimum propinatur. Cant. 2. 4. Hæc est probatica piscina, in qua abluitur hostia, id est, oratio, quæ Domino offerri debet. Joan. 5. 2. Hoc est natatorium Siloe, ubi cæcus illuminatur. Joan. 9. 7. S. Bernardus serm. 4. de 8. Beatitud.

Lacrymis meis stratum meum rigabo. Pl. 6. 7. Quia vilis lectus est stratum, per ipsum Carnem accipimus. Rigat ergo lacrymis stratum suum, quia continuo luctu, & dolore, carnis maculas diluit, & cordis duritiem imbre compunctionis emollit: ut, sicut hortus recepta suavi pluvia evidenter germinat, ita caro, lacrymarum fluentis rigata, bonorum operum, & justitiæ, germen emittet. S. Greg. in Psalm. Pœnit. hic.

Qui convertit petram in stagna aquarum. Pl. 113. 8. Id est, cor durum in abundantiam lacrymarum. Geminian. l. 1. c. 17.

Qui seminant in lacrymis, in exultatione metent. Pl. 125. 5. Quemadmodum femina opus habent imbribus; ita etiam nos lacrymis. S. Chrysost. hic.

Quasi rosa plantata super rivus aquarum. Eccl. 39. 17. aquarum, id est, lacrymarum. S. Bonav. l. 3. D. 7. Pent.

Par turturum. Luc. 2. 24. Turtur, quæ est solitaria, significat orationum lacrymas. S. Vinc. Ferr. l. de Purif.

Induebatur purpurâ. Luc. 16. 19. Bedæ Glossa in hunc locum: purpuram regij habitus esse colorem, marinis è conchilijs tinctam, nemo est, qui dubitet: nam conchilia ferrè circumcisa lacrymas purpurei coloris, quibus lana tingitur, emittunt. S. Bonav. hic.

Erat autem ibi fons Jacob. Joan. 4. 6. Lacrymæ fons Jacob dicuntur. Theophylactus hic.

Collyriò inunge oculos tuos. Apoc. 3. 18. Lacrymis mundatur oculus interior, ut Deum speculetur: hæc collyriò inunge oculos tuos. Cardinal. Vitalus, apud Cornelium hic.

Ex Patribus, & aliis.

Ros matutinus est (fletus devotionis) de celestibus stillans, & quasi unctio spiritus mentem deliniens. S. Cyprianus de Coena D.

Tunc respirant plantæ in nocte: tunc & animæ maximè, & magis, quàm illæ, rorem suscipiunt. Quæ enim in die Sol aduffit, eadem nox refrigerat. Nocturnæ lacrymæ quodvis rore magis contra concupiscentias, ac ardore omnes, demittuntur. Sanct. Chrysostomus hom. 26. in Acta.

Semina sunt bona opera, bona studia; semina lacrymæ sunt. Sanct. Bernardus l. 37. in Cant.

O pretiosas margaritas illas in defluxione beatarum lacrymarum. Sanct. Macarius hom. 25.

Postquam homo seminavit, si Deus dat pluviam, & rorem, homo colligit abundanter; alias non: ita est de lacrymis. S. Vinc. Ferr. l. 2. D. 3. Pasch.

Christus medetur sudoriferò lacrymarum, incisione venæ, & minutione sanguinis corrupti; ordinando divitiibus damna rerum. Id. l. 4. D. 17. Trinit.

Balsamum, omnibus odoribus præfertur, uni terrarum Judææ concessum. Succus è plaga manat, quem opobalsamum vocant. Corticis ad medicamenta pretium est: præcipua autem gratia lacrymæ, secunda semini, tertia cortici, minima ligno. Plin. l. 12. c. 25. Circa Hierichuntem pinguisissima Judææ regio balsamum nutrit: cujus incisò lapidibus acutis robore stillantem lacrymam ex vulneribus colligunt. Josephus de bello Judaico l. 1. c. 5.

Arbuscula balsami. Lem: *E lacrymis pretium.* Picinelli.

Vitis. Lem: *In lacrymis feracior.* Picinelli.

§. II.

Lacrymarum pretium, utilitas, laudes
variae.

Ex Veteri, & Novo.

In laboribus & in sudore vultus tui vesceris pane. Gen. 3. 17. 19. Hæc Deus Adamo de victu corporis: quæ quidem, si ad animam referas, æquæ vera sunt. Nam sicut victus corporis conquiritur est per sudorem corporis ita victus animæ per sudorem animæ. S. Hillarius l. 10. de Trinit. lacryma sudor animæ. Pinna Ethol. 241.

Inter amplexum flevit. Gen. 46. 29. Sicut per emissionem sanguinis febris mitigatur; sic per emissionem lacrymarum, quas cordis sanguinem rectè dixeris, amoris febris mitigatur. Alvarez Illustr. 269.

Super flumina Babylonis flevimus; cum recordaremur Sion; in salicibus in medio ejus suspendimus organa nostra. Pl. 136. 1. Et lacrymæ pro cantu sunt. Cur Sionis, id est, celestis patriæ, memores non canunt; ac organa, musicaque instrumenta, tangunt? Audi: *Sedimus & flevimus*: lacrymæ pro cantu fuere, & musicis instrumentis. Non autem citharædos vocat Joseph ad patrem suum charissimum plausibus excipiendum; lacrymæ pro cantu sunt. Id. ib.

A diebus Joannis Bapt. regnum celorum vim patitur &c. Matth. 11. 12. Quia, qui poenitentiam peccatoribus edixit, quid aliud, quam regno celorum fieri violentiam docuit? vult omnipotens Deus talem à nobis violentiam perpeti: nam regnum celorum rapi vult nostris fletibus; quod nostris meritis non debetur. S. Gregor. hom. 20. in Evang.

Nisi efficiamini sicut parvuli &c. Matth. 18. 3. Cur parvulis nos vult similes? ad impetranda omnia per lacrymas, quæ petimus. Si mater minetur, si pater repellat, si nutrix lac neget, si baiula cupitis non annuat; ad lacrymas parvulus recurrit, quibus semper victor evadit. S. Chrysol. s. 128. infantiam dico fratres, quæ semper totum obtinet; quæ plus lacrymis, quam virium robore, contendit. Pinna Ethol. 241.

Lacrymis capis. Luc. 7. 38. Magdalena, incipiens à lacrymis, illièd in virtute proficit: compendiosa enim via lacrymarum ad sanctitatis verticem. Escobar l. 3. coll. Chr. p. 2. sect. 3. obl. 9.

Mulier quid ploras. Joan. 20. 13. quærant angeli Christus duo quærit: *quid ploras? quem quaris?* Cur angeli solum fletus causam quarunt; nec curant, quem quærat? Duo agebat Magdalena: flebat & Christum quærebat. Hoc jam angeli habebant; flere deerat angelis: quod tamen ab eis ad eò expetitur, ut si caderet in illos invidia, hoc inviderent, quòd fundere lacrymas, quas Deus in tanto pretio habet, nequeunt. Didacus Niss. f. 3. d. 1. Quadr.

Flere cum stentibus. Rom. 12. 15. Paulus jubet. Et Philipp. 4. 4. *Gaudete in Domino semper.* Lacrymæ non impediunt gaudium, sed augent. Mendoza in 1. Reg. 1. annot. 8.

Ex Patribus, & aliis.

Volens nunquam jus deseram; coactus repugnare non novi. Dolere potero, potero flere, potero gemere: adversus arma, milites Gothos quoque, lacrymæ meæ arma sunt: talia enim munimenta sunt Sacerdotis; aliter non debeo, nec possum, resistere. S. Ambros. orat. in Auxentium de Basilicis tradendis.

Pascunt frequenter & lacrymæ, & mentem allevant; sletus refrigerant pectus, & mestum solantur affectum. S. Ambros. orat. funebri de obitu Valentiniani Imp. post medium.

Charita tristitia, & sletus, quolibet solatio, sunt amariore: neque enim quemquod sic tristis delectat, ut pro charis lacrymæ effusa. S. Chrysol. hom. 32. in 1. Rom. 13.

Panis lugentium, abundantia est lacrymarum, sic ut enim panis esurientem, sic lacryma reficit animam dolentem. Deficit esuriens sine panè; lacerata languet anima sine lacrymarum effusione: panis mitigat famem; lacryma lenit dolorem. Petrus Cell. c. 12. de pane lugentium.

De fonte peccatorum vena exilivit omnium lacrymarum. Mirum tamen in hoc artificis Dei ingenium; ut lacryma, de venis erumpens peccatorum, profusa humiliter absorbeat omne peccatum. Id. ib.

Demergit lacryma populum criminum, Judicis emollitiram, jam intentatæ iræ humili ausu flebit minas, vibratas revaginat acies erecta jam resupinat supplicia; exundantes irrorat flammæ, profundit de silice aquas, remollit aspera, humectat arida, sterilia fecundat, sordida lavat; suscitatur emortua, reserat clausa, portas refringit inferni. Quid plura? vincit invincibilem, ligat omnipotentem: naufragium est vitorum, portusque naufragantium Filium Dei ad nos inclinat. Hunc panem lacrymarum Adam comedit in exitio, Noè in diluviò, populus in deserto, Ezechias in lecto, Job in sterquilino, David in adultèrio, Petrus in negatione, Maria Magdalena in corporis sui prostitutione, Iatro in Crucis suspensione. Id. ib.

Dum fundit peccator lacrymam, recludit adversarium in flammam: urit certè adversarium, refrigerium nostrum. Olacryma humilis! tua est potentia, tuum est regnum: tribunal Judicis non vereris, quandoque sententiam rapis etiam ab ore Judicis. Id. ib.

Aqua hæc paradysum irrigat; Ecclesiam, ut sit sine maculâ, lavat: aut facit, aut invenit, paradysum. Id. ib.

Lacrymæ arma sunt miserorum: ad quæ semper potest recurrere, qui ab aliquo mœtore contrahitur: Orphani, viduæ, pupilli, ipsarum habent refugium. Placationes sunt sine voce, testes sine verbò, indices sine digitò, clamor in silentio, victoria sine ferrò, terror demonum sine sonitu, oblationes sine ritu, pulsatio sine strepitu: aqua decoctionis cordis, aqua saliens in vitam æternam, mare submergens Ægyptios insequentes, liquores rationabilis arboris. Simon Cass. l. 8. c. 40.

Sanctis semper dulces sunt lacrymæ, & in omnia inpraesentiarum congruentes; propter quod

quod: David fuerunt mihi panes die ad nocte. Pl. 41. 4. in prosperis videlicet, & aduersis: quia sicut panis ad omnia, quæ in usibus vitæ veniunt, videtur congruere, ita lacrymæ in doloribus, & angustijs, in pressuris, & tribulationibus, in desiderio, & fervore amoris, etiam in gaudio, & compunctione divinæ recordationis. S. Paschal. in Thren. 2.

Exempla.

S. Julianus adolescenti nobili, & delicato, petenti, & impetranti, esse comitem in solitudine, magnæque sibi laboranti, calidis lacrymis solò rigatò, divinitus fontem elicit. B. Theodoretus hystoria SS. PP.

Vir honoratissimus, & timoratus, S. Malachia, Ep. questus de sterilitate animæ, petens sibi à Deo obtineri donum lacrymarum, sanctus vir maxillam maxillæ ejus conjungens: fiat, inquit, tibi, sicut petisti. Exinde factus fons hortorum, puteus viventium. S. Bernardus de vita ejusdem.

Fœmina sterilis S. Mochuam in Hybernia adiit, flexis genibus, passis manibus, lacrymas copiose fundentem, & quasi sensibus alienatum reperit: furtim accedens ex oculis religiosi imbres cavis manibus excipit, & ore haurit magnâ fiducia, id ad fecunditatem sibi medicinæ fore: non vanâ spe, brevi enim Filium concepit, & peperit. Bolland. 1. Jan.

S. Syndetica V. authore S. Athanasio, interrogata à fororibus in spirituali colloquio quâ ratione anima possit salvari? illa graviter ingemiscens, & ubertim lacrymas fundens, seipsum colligebat; & videbatur responsum dedisse per lacrymas. Boll. 5. Jan.

S. Andreas Corsinus diebus Jovis pedes lavabat pauperis, inter quos tergiversantem, quòd tibiam haberet putrefactam, adegit. Lavat, osculatur, flet; & lacrymæ unguentum fuerunt; sanus ex integro factus. Boll. 30. Jan.

§. III.

Lacrymæ Deo, & Filio ejus incarnato charæ.

Igitur puella, cui ego dixero inclina hydriam tuam, ut bibam. Gen. 24. 14. de hydria conscientie tuæ, aquam scilicet devotionis, lacrymarum, & illa si inclinaverit ad mehydriam suam, & responderit, bibe Domine mi; quin & camelus, id est, servus tuus, qui te quotidie suo in corpore portant, & noctu diuque tuo jugò vincti tenentur, similiter hauriam aquam fraternæ charitatis: ipsa est puella, quam præparavit Dominus filio Domini mei; ut sit sponsa verbi divini meæ Humanitati uniti: Blossius Magarit. spir. c. 18. Puer Abrahamæ cognovit, Rebecca esse debere uxorem Isaac, ad hydriam, & propinationem aquæ; ad aures ejus appendit donaria multa, & facta est uxor Isaac. Puer Abrahamæ est sermo divinus, providens, animam Filio Dei desponsandam ad cor plenum lacrymarum; & quæ parata, non solum lacrymas ob Christi passionem fundere; sed etiam ex compassione erga proximos, appendit ad aures consolationes. De Rampellogis Compunctio.

Decimas tuas, & primitias tuas non tardabis reddere. Ex. 22. 29. Hebr. lacrymas tuas non tardabis reddere. Sept: primitias torcularis tui. Inebriabote lacrymâ meâ. Jf. 16. 9.

Posuisti lacrymas meas &c. Pl. 55. 9. In conspectu Domini ponuntur lacrymæ, sicut vinum, unde bibat. Hugo Card. hic.

Lacrymis cepit rigare pedes. Luc. 7. 36. Pharisei domum Christus intravit; non accepturus Judaicos cibos, sed divinam misericordiam largiturus: neque accubuit, pocula saporata melle, floribus odorata, sumpturus; sed penitentis lacrymas ex ipsis oculorum fontibus potaturus. Deus delinquentium gemitus esurit, sicut lacrymas peccatorum. S. Chr. f. 93.

Homo amphoram aquæ portans. Luc. 22. 10. est peccator penitens, cor lacrymis plenum ferens; quem sequentes angeli intrant ejus hospitium, & parant Pascha Domino. De Rampellogis cit.

Sedebat supra fontem. Joan. 4. 6. Hæc est aqua, quam Christus valde sitit; & nullus fons eum magis delectat, quantum puteus lacrymarum. In cujus figura quievit juxta puteum Samariæ, & petijt aquam Samaritanæ, id est, lacrymarum, à muliere Samaritana, scilicet peccatrice anima. S. Bonavent. Diet. sal. c. 12. de confess.

Cepit lavare pedes Discipulorum. Joan. 13. 5. Christus lavit pedes Discipulorum, non suos: quia eos nobis lacrymis lavandos reliquit. S. Ambros. l. 6. in Luc. c. 7. fortasse ideo, non lavit pedes suos Christus; ut eos lacrymis nos lavemus. Lacrymis delicta nostra fateamur; ut de nobis quoque dicat justitia cœlestis: lacrymis rigavit pedes meos, & capillis suis terxit. S. Paulinus ep. 4. ad Severum.

Absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum. Apoc. 21. 4. Non creatura aliqua, non Angelus, sed Deus ipse officium lacrymas abstergendi sibi reservat. Alia aliis credidit, angelis enim suis mandavit de se mendicus portatur ab angelis in sinum Abrahamæ. Luc. 16. 22. Ad ipsum Christum consolandum mittitur angelus. S. Bernardus in declamat: felices lacrymæ, quas benigna manus conditoris absterget; & beati oculi, qui in talibus liquefieri fletibus meruerunt. Bæza t. 2. l. 8. c. 2. §. 6.

Etiã angelis. Angeli gaudent in conversione ex penitentia peccatorum: salutem hominum sitientes: lacrymæ penitentium vinum eorum. S. Bernard. f. 30. in Cant.

Deliciæ Angelorum lacrymæ meæ. Id. l. 68.

§. IV.

Lacrymæ comparantur aquæ mundanti, Baptismo.

Ex Veteri, & Novo.

Iste est Ana, qui invenit aquas calidas in solitudine, cum pasceres asinos Sebeon patris sui. Gen. 36. 24. Ana, qui interpretatur donatus, vel sanctificatus, significat penitentem:

entem: aquæ calidæ; id est, lacrymæ, monstrant pœnitentis contritionem; solitudo verò vitam solitariam pœnitentis, seu meditationem. S. Bonavent. diæt. sâl. c. 10.

Erit tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum. Non sic impij, non sic; sed tanquam pulvis Pl. 1. 3. 4. Tota justî felicitas ab adjunctis oritur aquis. Sed pulvis unde poterit sibi acquirere soliditatem, nè à vento rapiatur? sanè ab adjuncta lacrymarum aqua. Bæzat 1. 2. l. 8. c. 3. §. 30.

Lavabo per singulas noctes &c. Pl. 6. 7. Lavatur cor lacrymis compunctionis. S. Thom. Aqu. in Jer. c. 4.

Defecerunt oculi mei &c. Pl. 118. 82. Oculi sunt quasi loculi solutionem debitam deducentes, scilicet lacrymas. S. Bonav. hic.

Oculi ejus sicut columba quæ residet juxta fluentia plenissima. Cant. 5. 12.

Iniquitates vestrae diviserunt inter vos et Deum. Il. 59. 2. At ubi nubes dissolvitur, & in tenues guttas, quasi lacrymulas, depluit; illicò cœlum serenatur. Quæ suòpote ingenio amara, ac falsa, priùs aquæ è mari in nubem concreverant, in dulcia stillicidia resolvuntur: imò & fulgura iræ divinæ, pluviam lacrymarum ingruente, cessant. Incert. auth.

Tu autem cum sei unam faciem tuam lava. Matth. 6. 17. Si faciem tuam lavare desideras, lacrymis eam abluito; Et suspirijs, ac fletibus, eam lavato: ut in conspectu Dei, & sanctorum angelorum ejus, cum gloria & claritate, resplendat: nam facies, quæ lacrymis abluuntur, immarcescibilem pulchritudinem acquirit. S. Ephrem ferm. ascetico apud Bæzam t. 3. l. 14. c. 9. §. 10.

Ex Patribus, & aliis.

Humilium fletus magnus est concupiscentiæ carnalis interitus. Lacrymæ, quæ ex cordis compunctione veniunt; & inimicum vincunt, & nobis donum triumphalis lætitiæ acquirunt. B. Fulgentius ep. 3. ad Probam de Virginit.

Peccata tua in libro scripta sunt; spongiæ autem instar sunt lacrymæ tuæ: lacrymas mitte, & obliterantur. Magna peccatorum spongia sunt lacrymæ. S. Chrylost. in Pl. 50. Magna peccatorum spongia sunt lacrymæ. ibid. Rogum peccatorum extinguimus, non jam aquis multis, sed parvis cum lacrymis: multus enim peccati ignis; atque modica eum extinguit lacryma. Idem hom. 5. de pœnit.

Inquinati post aquas salutis renascamur ex lacrymis. S. Greg. hom. 21. in Evang.

Pœnitentia est sicut aqua calida contra canes; & maxime quantum ad contritionem: sicut enim cum aqua calidâ ejicitur canis de coquina; sic cum aqua lacrymarum ferventium ejicitur diabolus, & peccatum, de anima. S. Bonav. diæt. sâl. c. 10. Aqua compunctionis est aqua benedicta, per quam sanctificamur; & abluuntur peccata. Idem ferm. 3. de Dedic. Eccl.

Quemadmodum aqua delet literas, ita & lacrymæ abolere peccata solent; Joan. Climac. gr. 16. Baptizari iterum non possumus; & tamen vice Baptizati contra quotidiana peccata quo-

tidianum fontem lacrymarum habemus. Etsi saepius baptizari prohibemur per aquam; nunquam prohibemur per pœnitentiam. Hugo à S. Vict. in Pl. 41.

Dum omnino tuus fueris, tunc illis (lacrymis) utere; illis te inebria, illis te refices, suavissimum tibi balneum mentis in illis frequenter tibi instrue. Gerson opul. de relig. perfect. confid. 19.

Sapientissimè Deus oculos fletus instrumentum esse voluit: ut, quò vitiatorum sordes hauriuntur, eòdem per lacrymas diluantur. Drexel. Nicet. l. 1. c. 7.

Lacryma vitis, lepras &c. nitro antè preparatas, sanat. Plinius l. 23. in prom.

§. V.

Lacrymæ avertunt iram Dei, & pœnitentiam.

Apparuit elibanus fumans, lampas ignis transiens inter divisiones illas. Gen. 15. 17. Divisiones adurit ignis, sed avibus non propinquavit. v. 10. Notavit hoc S. Augustinus de Quinq; ignis iste inter divisiones illas transiens dicitur; turtorem, & columbam, tetigisse non legitur. Cur turturi & columbæ, parit? quia noti gemitus aves: ubi gemitus, flamma non appropinquat. Naxera in Jos. 15. §. 33.

Magnus profectus est lacrymarum. Quando servus propitiatur Domino; filius lacrymis mitigit patrem; & asperam matrem plorans mulcet parvulus: ita & peccator profusus fletibus remonet iram Dei. S. Eligius hom. 11.

Fulmineus ignis nullâ quandoque aquâ extingui valet: aqua lacrymarum extinguit divinæ justitiæ fulmen. Doultreman de amore l. 1. c. 1. sect. 6.

Pierius in Hierogl. l. 28. c. 82. refect. Semiramidi persuasum, margaritas genis inhære, quas experrectis lacrymas deprehendit.

Imber Lem: *Temperat æstum.* Seneca in Troade Act. 3. Fletus ærumnas levat. Picinelli.

§. VI.

Lacrymæ pro peccatis, suadentur, laudantur.

Ex Veteri, & Novo.

Effuderunt in conspectu Domini aquam.

1. Reg. 7. 6. In signum pœnitentiæ, quæ perfectè idololatriæ, & peccatis renuntiârunt. q. d. sicut aquam hanc, sic & cor nostrum, omniaque ejus vitia, effundimus coram Domino profitentes, non ea detestari, pœnitere & aquam hanc vice lacrymarum fundere. Opretemus pro peccatis tot lacrymas fundere, quot sunt guttæ in titula. Sed quia id facere nequimus, hinc pro eis aquam effundimus. Cornelius hic.

Lavabo per singulas noctes &c. Pl. 6. 7. Nè putetis, nè cum hæc semel fecisset, deinceps se quieti tradiderit: est enim hæc spes nostra maxima, & laxamentò usus sit: sed hoc assidue fecit per totam vitam: non sicut nos, qui unò die, ut plurimum laborantes; atque adeò nè unò quidem, nos ipsos risui, voluptati, & otio tradid-

tradimus. S. Chrysof. hic. En ostendo tibi lectum B. David. Qualis igitur erat ille? non argentò, & aurò; sed undique lacrymis, & confessione erat exornatus. Hæc ipse fatetur: *lavabo &c.* Itaque vice margaritarum undique lacrymis erat distinctus. S. Chrysof. hom. i. de Lazaro.

Laboravi in gemitu meo. Pl. 6. 7. Id est, tam ingenti fletu peccata mea deflevi, ut fatigatus sim. In quo speculo se intueri deberent, qui plurima, & gravissima, peccata committunt; & vix paucas lacrymæ guttas emittere valent, cum remissionem à Deo quarunt. Bellarminus hic.

Fulgura in pluviam fecit. Pl. 134. 7. Nubes, caligo confusionis; sed fulgur terror majestatis; pluvia fletus compunctionis: prius enim ante mentis nostræ oculos turpitudinis memoria reducitur, postmodum in eorum recordatione divini terroris formidine concutitur; tandem inter confusionem, & formidinem, deprehensa in fletu compungitur. S. Bonavent. hic.

Super ubera plangite, super regione desiderabili: super vinea fertili. Il. 32. 12. q. d. plangite, quia propter peccata vestra avulsi estis à divinis uberibus; nec fugitis lac divinæ consolationis. Plangite super regione desiderabili; quia exules facti estis à regione beatorum. Plangite super vinea fertili; quia potiores Ecclesiæ fructus non participatis, quamdiu membra ipsius mortua estis. De Ponte in Cant. 1. Exh. 12. §. 5.

Beati qui lugent. Matth. 5. 5. Non mortuum, non jacturam; sed peccatum. S. Chrysof. hom. 22. ad pop. Euthymius, Theophylactus, Paschalius, V. Beda, qui ob charitatem lugent propria, & aliena peccata. In illum luctum sensum horum verborum trajicio, qui de offensione divina procedit; qui, cum offensus est DEUS, deberet inhaustibili venâ defluere: cum nihil aliud sit fletu, & amaro luctu, dignum; nisi cum rerum creator offenditur. Simon Cass. l. 10. cap. 6.

Noli flere. Luc. 7. 13. Prohibet fletum suscitaturus mortuum: mors quippe causa fletus erat. Et nihil fletus causa, quam spiritalis mors; nihil plangendum ab hominibus, quam peccatum. Vult Deus fletum fieri pro spiritalibus malis; non autem pro corporalibus damnis. Idem l. 5. c. 15. Cum multa sint lacrymarum genera, istæ istius tenuerunt optimam partem. Sunt enim aliquæ prodeuntes ex poenali miseria; & quædam proveniunt ex miseria culpabili, & iniquâ; & utiliores, imò necessariæ sunt. In his hæc mulier exordium fecerat. Sunt, quæ effundentem non respiciunt; eò quòd sit poenâ mulcendus ex crimine; sed tantum, quia offensus est Deus. Id. l. 9. c. 28.

Lacrimis cepit rigare pedes ejus. Luc. 7. 38. En mutatur ordo rerum: pluviam terræ dat coelum semper: ecce nunc rigat terra coelum. O quanta vis in lacrymis peccatorum! rigant coelum, terram diluunt, extinguunt gehennam. S. Chryf. l. 93.

Mulier quid ploras? Joan. 20. 15. Quærit Polyantb. Sacr. Tom. I.

ut homo, qui omnia sciebat ut Deus. Noverat, cur plorabat; sed interrogatio ampliores provocabat ad lacrymas. Id. l. 14. hic.

Ex vitæ sanguis & aqua. Joan. 19. 34. Non ille solus, sed comitatus aqua. Hinc instruimur; id à nobis in omni mortificatione, jejuniò, agi oportere; ut sanguinis comes semper sit aqua lacrymarum, & compunctionis. Jejunare, nec meliorem vitam vivere, inanis fatigatio est. Didacus Niss. l. 2. die Ciner.

Ex Patribus, & aliis.

Ubi verò à fundo arcano alta consideratio contraxit, & congestit totam miseriam meam in conspectum cordis mei; oborta est procella ingens, ferens ingentem imbrem lacrymarum. Et ut totum effunderem cum vocibus suis; surrexi ab Alipio, & secessi remotius, quam ut posset mihi onerosa esse etiam ipsius præsentia. Mansit ergo ille, ubi sedebamus, nimie stupens. Ego sub quadam fici arbore stravi me nescio quò modo; & dimisi habenas lacrymis; & proruperunt flumina oculorum meorum, acceptabile sacrificium tuum; & non quidem his verbis, sed in hac sententia multa dixi tibi &c. S. August. Confess. l. 8. c. 12.

Flevit & contristatus est propter me, gaudium meum, imò gaudium Angelorum Dominus JESUS. Audis cor non carneum, sed lapideum, illum magnum Jesum, & optimum, in diebus carnis suæ, quam pro me redimendo assumpsit, lacrymis immaduisse; & adhuc aridum permanes? O cor durum! audis commoveri pro me ad lacrymas illum, qui in æternum stat, & non commovebitur: nec adhuc tu ad lacrymas commoveris. Addam & ignem charitatis, & Passionis sanguinem; si forte calefas, si emolliaris; ut dulcissimo JESU pro lacrymis suis, & sanguinis effusione, solas saltè lacrymas rependas. Adhuc addam & malleum gravem, & cuneos ferreos incutiam tibi, ut scindaris &c. S. Bernard. tr. de Pass. d. c. 33.

Ploremus hic paululum, ut non plangamus illis æternam. S. Ephrem. f. de compunct. animi.

Qui pro temporalibus incommodis lacrymas affluenter effundit, & peccatorum lacrymas novit; ipse sibi testis est, quia non verè de peccatis dolet. S. Thom. Vill. f. 6. d. 4. Quadr.

Nihil penitus aliud fletu, & amarissimo luctu, dignum, nisi cum offenditur Creator omnium rerum. Incert. Auth.

§. VII.

Lacrymis non abutere, non ob futiles causas.

Ex Veteri.

Divisique aquas, quæ erant sub firmamento, ab his, quæ erant super firmamentum. Gen. 1. 7. Divisio, & discrimen, lacrymarum; quædam in imo subsidunt, hoc est, propter terrenos eventus effunduntur, propter paupertatem, angores, morbos, dolores, filiorum, & amicorum, mortem. Aliæ verò in altum sublatæ, velut in firmamentum mutantur;

M m m m cūna

cum scilicet ex pœnitentiæ dolore, ex desiderio patriæ cœlestis, ex amore Dei, ab anima per oculos emittuntur. *Aqua omnes, quæ super caelos sunt, laudent nomen Domini.* Pl. 148. 4. Fernandus hic lect. 4.

Dicunt *Pastores Gerara* (dæmones) *nostra est aqua.* Gen. 26. 20. scilicet lacrymarum harum impatientis animæ. S. Bernardus l. 4. de 8. Beatitude.

Irrugij clamore magnò. Gen. 27. 34. Flevit Esau; flevit & Jacob Ol. 12. 4. *Flevit & rogavit eum.* Disparis lacrymæ, sed dissimilis affectus. Esau deslet ablatam primogenituram; Jacob Numinis absentiam: levavit vocem suam, & flevit. Naxera in Jos. 15. §. 40.

Operto capite ascendebat plorans. 2. Reg. 15. 30. David suum à regno suo exilium deplorans: nempe erubescens, si fortè à suis pro temporali damno flere cerneretur. Eandem ob causam mortem deploraturus Salomonis, *ascendit cœnaculum porta, & flevit.* 2. Reg. 18. 33. Sublimiorem & secretiorem, ad locum se recipit, quoniam palam temporalia flere damna erubesceret. Mendoza in 1. Reg. 1. annot. 8. Quia viros flere non convenit. Abulensis.

Convertit faciem suam ad parietem, flevit fletu magnò. 4. Reg. 20. 2. 3. Nè quem pudore ex lacrymis pro temporali incommodo profusus pateretur. Idem. ib. Communis sententia est, quòd coram Jsaiâ se vertit ad parietem. Fecit id, non ex contemptu, sed ex animositate regia. Consideravit, se in lacrymas erumpere ob amorem rerum sæcularium; & Jsaiam illarum esse contemptorem magnam: erubuit coram tanto viro talem fletum excitare; & ideo ob reverentiam vertit se ad parietem. Sylveria in Luc. 1. q. 36. *Convertit &c.* quia fortè erubesceret flere coram illis. Abulens.

Dereliqueruntque ibi deos suos, quos David jussit exuri. 1. Paral. 14. 12. Cur David, victis & fugatis gentibus, relicta idola combussit? S. August. lib. quæst. quia illis gentiles lacrymas offerbant: nam lacrymæ soli altissimo offerendæ sunt; & propter amorem ejus, & offensas, profundendæ. O quot hodie sunt idola! quibus quàm plurimæ lacrymæ offeruntur! propter nummos, honorem, voluptates; quàm pauca propter Deum! Diez lacrymæ.

Defecerunt sicut fumus dies mei. Pl. 101. 4. Nonne vides etiam corporis oculos, cum in fumo remorantur, lacrymas semper effundere? Si verò potiantur florentibus pratis; & hortis virentibus; multò majori aciei fulgore rutilare? Talis profectò est & mentis oculus: si in pratis spiritualis pascatur eloquij, erit totus purus & lucidus: si verò in fumum sæcularium negotiorum fuerit ingressus, ad innumera prorsus mala lacrymabitur, & flebit. S. Chrysost. hom. 2. in Math.

Deposita est vehementer non habens consolatorem. Thren. 1. 9. Ecce tibi tota civitas luctui, fletui, tradita sine consolatore. Sed unde hi fletus? & sine consolatore lamenti causa? fordes ejus in pedibus ejus 16. Si non ad terrena & lutea egrederetur; si gloria ejus esset ab intus.

Vocate lamentatrices. Jerem. 9. 17. & v. 20. *docete filias vestras lamentum.* Fœminis id, non viris Deus concedit. S. Hieron. nos quoque eos, qui ad sæculi mala & bona, vel contristantur, vel exultant; mulieres appellemus, molli, & effeminatò animò. Velloso in Judith 7. Paræn. 31.

Dedus quasi torrentem lacrymas. Thren. 2. 18. Cur non quasi flumen, aut mare? S. Paschasius l. 2. in Thren. torrentium curfus non semper unò, eodemque, impetu fluit; sed juxta quod inundatio pluviarum de celo venit. Ità & lacrymæ non nisi ex divina inspiratione & compunctione cordis. Fugiendæ lacrymæ, quæ à terrenis cupiditatibus, & infortunis scaturunt: decurrat ab oculis non fluvius lacrymarum, sed torrens, quem nimbi è cœlo faciunt, Bæza l. 3. c. 2. §. 23.

Ecce mulieres plangentes Adonidem. Ezech. 8. 14. An non etiam viri plangebant? affirmat Hieronymus. Cur ergo non fit virorum memoria? quia cum fœminis computandus est vir, qui ob temporaria incommoda plorat. Elcobar t. 5. Proph. Chr. l. 6. lect. 2. obl. 3.

Ex Novo.

Noli flere. Luc. 7. 13. Hic lacrymæ ventantur; non Magdalene Joan. 20. 13. *dicunt ei: mulier quia ploras?* Cur non Dominum imitati dixerunt, noli flere? lacrymas non sistere, sed promovere, hac quæstione cupiunt. Non solum angeli; sed & ipse Dominus repetit: *mulier quid ploras?* Discrimen: mulier illa juvenem dolebat sublatum; at Maria Dominum dolebat amissum; hæc Deum; illa hominem: desiderium Mariæ dignum planctu; at viduæ fletus sterilis in se, & dolendæ jacturæ. Naxera in Jos. 15. §. 40. Viduæ dixit: *noli flere;* tibi verò dicit: noli non flere. Nam viduæ lacrymæ filio parum proderant; at tuæ tibi lacrymæ maxime proderunt: *beati enim qui lugent.* Barad. t. 2. l. 8. c. 6. d. 15.

Super vos ipsos flete, & super filios vestros. Luc. 23. 28. S. Bernardus in obitu Humberti: etenim ea, quæ de me sunt, finem habent: quæ videtis mihi preparari, temporalia sunt; quæ non videtis æterna.

Miserunt sermes &c. Joan. 11. 3. Absque compassione, & lacrymis esse, bestiarum est; multum autem lacrymari, plorare, & contulsi, mulierum. Theophylactus hic.

Ex Patribus, & aliis.

Sursum sit cor, & sicci erunt oculi. S. August. ep. 248. Consolans Sapidam Virg. super morte fratris. Innumeros dies desilent homines, familiarum obitus, pecuniarum damnum: quòd autem animam singulis diebus amittamus, nè cogitamus quidem. S. Chrysost. hom. 8. in ep. 1. Cor.

Sterilis est omnis effusio lacrymarum, quæ non effunditur propter regnum cœlorum. Inanes sunt lacrymæ, quas damnum, vel incommodum extorquet temporale. Flendum solummodo

modo est, aut pro peccato commisso, aut pro paradiso amisso.

Petrus Cellens. c. 12. de pane lugent.

S. Agnes V. Ord. S. Dominici, auctò fororum numerò, cum earum unam visu orbatam, remedii causâ educere vellent propinqui, ipsa eadem vocatæ dixit: filia, si Dominus tibi visum reddiderit, visne torâ vitâ, quod tibi injunxero, adimplere? annuenti ait: volo dilecta filia, ut nunquam oculis istis damnum aliquid temporale defleas ob sponi tui amorem. Id promittenti signat cruce oculos, & visum restituit. Boll. 20. April.

§. VIII.

Lacrymarum bonus usus, & ex bonis causis.

Ex Veteri, & Novo.

Suspiravitque, ut sedebat in asino. Jos. 15. 18. 19. Axa Calebi filia, cum ad sponi domicilium duceretur, in largas fusâ lacrymas suspirat: *da mihi benedictionem &c.* Non vacat mysteriò, asino insidentem emisisse suspiria. S. Gregorius 1. 3. dialog. c. 34. Axa super asinum sedet, cum irrationabilibus carnis motibus anima præfideat; quæ suspirans à patre terram irriguam petit: quia à creatore cum magno gemitu quærenda est lacrymarum gratia. Flere incipit, quod differtur à regno. Dat ergo ei pater irriguum superius, cum se in lacrymis cœlestis regni desiderio affligit. Naxera in Jos. 15. §. 36.

David non desievit mortem filij 2. Reg. 18. 33. Qui erat sine peccatò; sed amarissime obitum Absolonis.

Flabit spiritus ejus, & fluent aque. Pl. 147. 18. Cor enim calefactum amore, & desiderio, cœlestis patriæ, resolvitur in aquas lacrymarum. Hugo Card. in c. 3. Joan.

Beati qui lugent. Matth. 5. 5. Propria, vel proximorum, peccata desiendo, & ad patriam suspirando; vel Christo Passio, & Crucifixo, compatiendo cordialiter. Sic luxit David Pl. 118. 136. *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non custodierunt legem tuam.* Sic Samuel luxit Saulem 1. Reg. 15. 35. Daniel populi sui captivitatem, 9. 3. &c. Dionys. Carth. hic.

Simile est regnum caelorum grano sinapis. Matth. 13. 31. Quot sunt articuli Fidei, tot possunt dici grana sinapis: hæc grana, cum in corde conteruntur, oculos faciunt lacrymari. S. Bonav. f. 1. in Circumc. D.

Lacrymis cepit rigare pedes ejus. Luc. 7. 38. Præcesserant intervenientes lacrymæ, ut oscula devota sequerentur: quia lacrymæ satisfactionis sunt documentum; oscula sunt reconciliationis indicia. S. Chrysol. f. 93.

Conversus Dominus respexit Petrum. Luc. 22. 61. Negavit primò Petrus, & non fleuit; quia non respexerat Dominus. Negavit secundò; non fleuit: quia adhuc non respexerat Dominus. Negavit & tertio: respexit Jesus, & ille amarissime fleuit. Respice Domine Jesu! ut sciamus nostrum deslere peccatum, lavare delictum. S. Ambr. hic.

Polqantb. Sacr. Tom. I.

S. Leo 9. de Pass. ut respexit, erexit, & in fletus poenitentis excitavit. Nec mirum, si ex respectu Domini Petrus fleuit amare: quia *oculi ejus sicut flamma ignis.* Apoc. 1. 14. quorum intuitus necessario dissolvit glaciem peccatorum, Hugo Card. in c. 1. Luc.

Nolite flere super me &c. Luc. 23. 28. Fletus pro se, ad satisfactionis negotium pertinet; pro aliis flere, ad negotium pietatis. Baeza t. 2. l. 6. §. 18.

Plorabit, & flebitis vos. Joan. 16. 20. Cur eos non prohibet à luctu, non lugeatis? S. August. quia contristati sunt de nece Domini. Sed cur illas foeminas vetat super nece sua plorare. Luc. 23. 28. *Nolite flere &c.* Quia illæ ex agnata foeminea facilitate, aut ex naturali compassione, aut ex incommodis temporalibus, quibus, Christo mortuò, erant afficiendæ, plorabant. At discipuli verè de nece Domini erant ploraturi. Escobar. t. 5. Proph. Chr. 1. 6. f. 2. obl. 3.

Serviens Domino cum omni humilitate, & lacrymis. Act. 20. 19. Flebat ex compassione, tum ob Christianorum infirmitates; tum etiam ob Judæorum, & Gentilium, duritiâ; quod ad veram fidem traduci volebant. Sylveria hic q. 5.

Justificati in sanguine ipsius salvi erimus ab iraper ipsum. Rom. 5. 9. In sanguine Christi justificari videtur, qui pati cum patiente, & sanguinare cum sanguinante, meretur: quid enim lacrymæ, nisi sanguis animæ? S. Bonav. in Pl. 118.

Filiolus mei, quos iterum parturio. Gal. 4. 19. Juges ex eo lacrymarum fontes, non diebus solum, sed & noctibus, affluebant; omniq; mulieri parturiente vehementius affligebatur in singulis, S. Chrysol. hom. 1. de laudib. Pauli Ap.

Beatus, qui prudenter, & cum judicio, planctum quaerit; & cum compunctione lacrymas in terris coram Domino fundit, velut pretiosas margaritas. S. Ephrem. l. de beatitudinib.

Exempla historica.

Quantum flevi in hymnis, & canticis tuis, suavelonantis Ecclesiæ tuæ vocibus! voces tuæ influebant auribus meis, & eliquabatur veritas tua in cor meum; & ex ea aestuabat inde affectus pietatis, & currebant lacrymæ; & bene mihi erat cum eis. S. August. l. 9. Confess. c. 6.

Et misisti manum tuam ex alto; & de hac profunda caligine eruisti animam meam; cum pro me ploraret ad te mater mea, fidelis tua, amplius, quam flent matres corporea funera: videbat enim illa mortem meam, & ex fide, & spiritu, quem ex te habebat: & exaudisti eam Domine. S. August. Conf. l. 4. c. 1.

Quotiescunque sanè pueri istius (Isaac) contemplatus sum imaginem, nunquam sanè lacrymis præterire potui. S. Ephrem de Abrah. & Isaac. Ludolphus Saxo Carthus. p. 2. vitæ Chr. c. 63. Memorat fuisse virum religiosum; qui totus jierit in lacrymas, quoties illa verba *ecce Mater tua*, meditaretur. Ità viginti annos assiduis pene lacrymis consumpsit; quibus cibum, & potum, frequenter miscuit.

S. Euticius Abb. quadraginta annis non sumpsit cibum, nisi prius flevisset. 13. Jan.

M m m m 2

B Mar

B. Margareta Hungarica V. habebat genas adustas fluxu lacrymarum. Boll. 28. Jan.

S. Romualdus Abb. anxiabatur aliquando, teste B. Petró Dam. in lacrymas erumpere; sed nulló conatu valebat ad contriti cordis compunctionem venire. Factum est ergo quâdam die, dum in Pl. 31. 8. incidisset, *intellectum tibi dabo, & instruam te in via hac, quâ gradieris*; repente illi lacrymæ affluxere, quas, dum liberet, deinceps copiosè profudit: in quas sæpe quasi totus resolutus divini amoris ardore exclamabat: *chare JEsu; mel meum dulce, desiderium ineffabile, dulcedo Sanctorum, suavitas Angelorum!* Et ideò missam celebrare coram pluribus nunquam volebat; quia se à lacrymarum abundantia cohibere non poterat. Boll. 7. Febr.

S. Francisca Romana, cum Domini Passionem contempleretur, tam effusè flebat, ut metuerent domestici, nè doloris vehementiâ moreretur. Boll. 9. Martij.

B. Liwina V. lacrymas, quas amore Crucifixi fundebat sanguinea; rosas suas appellabat. Harum lacrymarum adhuc manent aliqua mirâ fragrantia redolentes. Boll. 14. Apr.

§. IX.

Lacrymæ respicientes amorem.

Sicut Eliæ sacrificium 3. Reg. 18. 34. 38. Igne cœlesti absumptum est; sed prius aqua ter affusa; ita Magdalena cor igne cœlesti absumitur, cum *dilexit multum*, sed multis lacrymis prius effusa. Luc. 7. 47. Oforius f. 2. D. Pass.

Non invenerunt ignem, sed aquam crasam. 2. Mach. 1. 20. Audivimus antè, quia aqua pro igne reperta est; nunc è contrario dicitur; quia per asperionem aquæ ignis magnus accensus est. Ergo & ex igne aqua nascitur, & ex aqua ignis invicem procreatur. Ex igne divini amoris gratia compunctionis oritur; & rursus ex compunctione lacrymarum desiderii cœlestis ardor augetur: alterum siquidem pendet ex altero, & sibi utrumque invicem præstat; dum & ex amore Dei lacrymarum compunctio profuit; & rursus per lacrymas ad amorem Dei mens nostra ferventius inardescit. S. Petrus Dam. Opusc. 13. c. 13. apud Did. Niss. D. 9. Pent.

Flevit amare. Matth. 26. 75. qui noverat amare. Dulcedo secuta est in amore, cujus amaritudo præcesserat in dolore. S. August. f. 108. de S. Petro.

Lacrymis cepit rigare pedes. Luc. 7. 38. Lavantur his lacrymis pedes Domini, velut aquis fervefactis ex charitatis igne; quem invisibiliter accenderat, qui lavabatur. Simon Cass. l. 8. c. 40. Ad lavanda Domini sui vestigia non alias, quam oculorum suorum undas attulit, capillis suis pro linteis usâ est. Tum verò ubi affectus vehementior incanduit, & uberavit; carbolacrymarum imbre respersus fortius exarsit. Drogo ost. l. 1. de Pass. *Sicut aqua effusus sum factum est cor meum tanquam cera liquefciens.* Pl. 21. 15.

Flevit super illam. Luc. 19. 41. Cum dederet Lazarum mortuum, dixerunt nonnulli Joan. 11. 36. *Ecce quomodo amabat eum.* Nunc Judæorum populum periturum cum deflet, dici etiam potest: ecce quomodo amat eum. Barradius t. 3. l. 7. c. 9. D. 9. Pent. In Philosophia

naturali fumus est signum ignis; at in amoris schola, aqua ignem, ignis aquam, indicat. *Flevit super illam*: flebat; quia amabat: nisi amaret, non fletet. Quæ ex oculis ejus fluxit aqua, evidenti nobis indicio est ignis, quò amantissimum ejus cor ardebat. Didacus Niss. D. 9. Pent.

Aquam vinum factam. Joan. 2. 9. Aqua in vinum vertitur, dum contritio in dilectionem, lacrymæ timoris in lacrymas amoris, mutantur. S. Bonavent. f. 3. D. 2. Epiph.

Aqua lacrymarum ex igne profluat; ut quisquis affluere hujus imbris inundatione desiderat, divini amoris ignem prius necesse est in camino suæ mentis accendat. B. Petrus Dam. opusc. 13. de perfect. c. 13.

Ignem, qui à fulmine provenit aqua interdum magis accendit: solus autem ignis noster suffocat, & extinguit: sic ignem divini amoris accendit aqua pœnitentiæ; extinguit autem ignem prave concupiscentiæ. Berengarius lib. similitudinum.

Post acutum solis ardorem videmus sequi pluviam vehementem: sic amor excitat lacrymas. Geminiani l. 1. c. 16.

Aqua in amphora mathematica. Lem. Dum calet, exilit. Bovius.

Titio viridis igni appositus, qui hinc flammam concipit, inde aquis defluentibus stillat. Lem. *Tempore simul eodem.* ardens amor, & lacrymæ. Id.

§. X.

Lacrymæ Christi D.

Fletus in agonia orabat. Luc. 22. 43. Ubi quidem non solis oculis, sed quasi membris omnibus flevisse videtur. S. Bernard. f. 3. D. Palm.

Lacrymæ Domini, gaudia Mundi sunt; quia idcirco ille lacrymas fudit, ut nos gaudia mereamur. S. August. l. 1. f. 6. D. 4. Quadr.

Miscellanea de lacrymis.

Bene de Anna flente perhibetur: *vultusque illius non sunt amolius in diversa mutati* 1. Reg. 18. Quia videlicet mens ejus nequaquam post preces ineptâ lætitiâ lascivendo perdidit, quod orationis suæ tempore gemituum rigore acquisivit. S. Gregor. mor. l. 33. c. 20.

In oculis suis lacrymarum inimicus; & si invenerit tempus non satiatur sanguine. Eccl. 12. 16. Sic Ismael impius ibat plorans. Itaque decepit 80. viros, quos illic obruncavit. Jerem. 41. 6. Hic verum est vetus dictum: *columba oculis in serpentino corde.* Cornelius hic.

Quis dabit capiti meo aquam? Jer. 9. 1. Tradunt medici, fontem lacrymarum esse cor: tres enim docent exhalationum in homine esse fontes, stomachum, hepar, cor: stomachum vapores emittit sursum, qui per nares exonerantur: hepatis fumos per aures: cordis per oculos & lacrymas, effundi. Cornel. hic.

Vulnerum animi tanquam sanguis, lacrymæ sunt. S. Gregor. Niss. orat. in funere Placillæ Imperat.

Sicut sanguis testimonium est vulneris corporis; sic lacrymæ ostendunt vulnus cordis. Oforius f. 6. D. 4. Quadr.

Uterque timor, servilis, & liberalis, animam pungit; & sanguinem animæ, lacrymas, per oculos emittit. Rupertus de operib. spir. f. 1. 9. c. 4.